



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Dispositio Et Perioche Historiae Evangelicae Per IIII.  
Euangelistas contextæ, necnon Actuum apostoloru[m],  
Epistolaru[m] quoq[ue] Pauli XIII. & Canonicaru[m] VII.**

**Bullinger, Heinrich**

**Tigvri, 1553**

**VD16 B 9605**

9 Argvmentvm Posterioris S. Pavli Ad Thessalonicenses Epist.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-35634**

## EPISTOLA PAULI

hæc ab Athenis scribit literas quibus laudat illorum fidem. Laudem uero hanc ita attemperat, ut simul adhortetur Thessalonicenses, porrò constantes esse pergant. Atq; huc quoq; pertinet narratio cap. 2. de ingressu suo ad Thessalonicenses, item expositio cap. 3. de legatione Timothei. Atq; hæc quidem altera pars est huius epistolæ. Posterior circa institutionem uersatur. Admonet enim ut caueant sibi ab immunditia, & uitæ puritate deum colant, ut caueant sibi ab iniuria & circumscriptioe fratrum, seruiant autem his per charitatem, ut mortuos non lugeant luctu immoderato & Christianis indecoro. Vbi de fide resurrectionis, de extremo die, de uigilia Christianorū, deq; rebus alijs opido sacris & utilibus differit.

Videtur autē hæc epistola ante alias omnes esse scripta. Vtilitate certe & præstantia alijs nihil cedit. In hac enim egregij & necessarij loci tractantur. Dictio autem Paulinum pectus omnino refert. Est enim facilis, accommoda rebus, & ubiq; maiestatem referens apostolicam.

### ARGUMENTVM POSTERIORIS S. PAULI AD THESSALONICENSES EPIST.

APPA



**A**PPARET posteriorem hanc Pauli ad Thes-  
 salonicenses epistolā priori coronidis siue sub-  
 sidij uice statim post hanc additam esse. Copiosius enim  
 in illa tractat quedam quæ in hac delibarat parcius.  
 Et initio quidem adhuc prædicat fidem Thessalonicen-  
 sium. Quod in multa tentatione atq; afflictione con-  
 stanter durauerint. Quamobrem pollicetur refrige-  
 rium & uitam sempiternam, aduersarijs uero incen-  
 dium & interitum perpetuum, ut confirmaret eorum  
 animos. Deinde quia in priori meminerat aduentus do-  
 mini & resurrectionis mortuorum, intellexerant quia-  
 dam iam nunc imminere illa, proinde ostendit in hac  
 dominum non prius uenturū quàm reuelatur filius per-  
 ditionis, hoc est antichristus, cuius aduentum ac regnum  
 sed & interitum graphice pingit, certè ut posterius sæ-  
 culum commonitum sibi ab ea peste caueat. Postremo  
 iterum atq; iterum inculcat in ordinem redigendos esse  
 qui otio & curiositate turbabant ordinem publicum.  
 Horum enim & in 4. cap. prioris epistolæ meminerat.  
 Breuis quidē epistola est, sed mire utilis et docta. Stilo nul-  
 differt à superiori, neq; eruditione inferior est. Atque  
 & hanc Athenis à Paulo scriptā & per eosdē missam.  
 Theophylactus per Titum & Onesimum putat missam.